

*2014 PRETIUM
PETRONIANUM*

1. Platz

Thorsten Orthen

Ergänzung zu Livius, 8, 18, 1-10 (mordende Matronen)

Dieser Text schließt unmittelbar an die oben genannte Textstelle an und behandelt die Geschehnisse nach der Verurteilung der mordenden Matronen.

[1] *Post dies iudicii clamor populi obmutuit. Victoria de pestilentia pronuntiata est. Illi ancillae gratiae agebantur pro indicio salutari: Nam iam nemo similiter mortuus est praeter quasdam ex matronis damnatis propter timorem poenae tormentique. Q. Fabius Maximus aedilis curulis in foro civibus iam declaravit annum meliorem venturum esse. Paucis post diebus tamen res acciderunt, quae multo obscuriores esse iis, quas supra memoravi, videbantur.*

[2] *Illis diebus e Tulliano, quo carcere illae feminae detinebantur, erupisse voces horribiles, quae primum clamores enectarum tormentis habebantur, traduntur. Vere prodi non potest, quid eo loco acciderit: Et testes et qui descendere auderent deerant. Nemo omnium, qui matronas custodiendi causa dispositi erant, mortem effugit, cum se e Tulliano proripuisset, si modo aliquis vivus inde evaserat. Qui evaserant, exanimati et aegri erant. Priusquam animam efflaverunt pauca dixerunt: ‚Matronae‘ vel ‚aer veneficus‘. Quidam ad causas mali reperiendas descendentes paulatim eadem re correpti sunt et recesserunt. Subinde Tullianum ex senatus consulto clausum est.*

[3] *Erant, qui dicerent, matronas eum locum exsecratas esse. Alii dicebant animas matronarum eo loco assidue vagari et ulcisci unumquemque intransentem. Sacrificaverunt Iovi omnes fere cives, viri quidem mortem metuentes saepius quam mulieres, et quosdam aras parvas matronis in domus secreto condidisse fama ferebat. Si quis sententiis rationibusque senatus contradicere audebat, ut quidam Constantinos, homo doctus ex oriente, qui corporum multitudinem causam malorum putavit, hic rei publicae sollicitatae accusatus est.*